

SECTIO ALTERA

1/

De Signaturae Apostolicae competentia

FACTI SPECIES. - Dominus X recursum apud Signaturam Apostolicam interposuit adversus decisionem a Pontificia Commissione praeposita Statui Civitatis Vaticanae die 30 aprilis 1964 latam, qua nempe munere privabatur et pensione ex conducto donabatur.

ANIMADVERSIONES. - Ordinatio iuridica Status Civitatis Vaticanae propriis regitur normis plane distinctis a normis quibus regitur ordinatio iuridica Dicasteriorum Curiae Romanae. Quam ob rem Status Civit. Vaticanae propria habet tribunalia primi, secundi et tertii gradus quae quaestiones civiles officialium dirimunt.

Ex altera parte, recursus ad Signaturam Apostolicam interponi potest solummodo adversus decisiones vel decreta administrativa lata post diem 1 martii 1968, quando nempe Constit. Apost. *Regimini Ecclesiae Universae* suos plenarios et integros effectus sortita est.

DECISIO. - In Congressu diei 10 maii 1968 decretum est: *Recursum esse reiciendum*, tum quia praetergreditur competentiam Signaturae Apostolicae tum quia decisio a Pontificia Commissione lata est antequam vim haberet Constitutio «*Regimini Ecclesiae Universae*».